

**Dissertatio medica de methodo medendi morbis quae adstruit: per morbos
produci salutare effectus / [Jodocus Ehrhart].**

Contributors

Ehrhart, Jodocus, 1740-1808.

Baldinger, Ernst Gottfried, 1738-1804.

Publication/Creation

Jena : P. Fickelscherr, 1761.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cx6zac3c>

License and attribution


This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30451802>





Double
DISSERTATIO MEDICA

DE

METHODO MEDENDI MORBIS

QVAE ADSTRVIT:

PER MORBOS PRODUCI SALVTARES
EFFECTVS

QVAM

PRAESES

ERNEST. GODOFR. BALDINGER

MEDICINAE DOCTOR

PVBlice DEFENDET

RESPONDENTE

IODOCO EHRHART

MEMMINGA - SVEVO

MEDICINAE CVLTORE

IENAE, DIE XVI. MAII MDCCLXI.

EXCVDEBAT PETRVS FICKELSCHERR.

METHODO MEDENDI MORBIS

HOFFMANNVS

Med. Rat. Syst.

Ineffabilis divina providentia merito celebranda, quae corporis nostri
machinam animale[m], tam sapienter potentiis et facultatibus instru-
xit motricibus, ut ipse morbus, qui nunquam non cum laesione
functionum partium et vitae sanitatisque periculo accidit, ad expu-
gnandam ipsam suam causam sui[us]que curationem saepissime vergat,
et vergere possit.



V I R O
PERILLVSTRI EXCELLENTISSIMO

ATQVE

EXPERIENTISSIMO

CHRISTIANO ANDREAE
COTHENIO

POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI
A CONSILIIIS INTIMIS ET ARCHIATRO PRIMARIO,
EXERCITVVM REGIS ET ORPHANOTROPHEI POTZDAM-
PIENSIS MEDICO ORDINARIO, COLLEGII MEDICORVM
SVPREMI DIRECTORI, COLLEGII MEDICO-CHIRVVGICI
BEROLINENSIS DECANO, CIRCVLORVM DIVERSORVM
PHYSICO, ACADEMIAE IMPERIALIS, REGIAE BEROLI-
NENSIS ET COLLEGII SANITATIS SODALI
PRAECLARE MERITO

MEDICO SVMMO

ET DE TVENDA REGIS SANITATE

BENE MERENTI

PATRONO MAGNO ET OPTIMO

HASCE PAGELLAS SACRAS ESSE VOLVIT

TANTI VIRI

ORSEQVIOSISSIMVS CVLTOR

P R A E S E S.

VIRG
SERIIVSRI EXCELLENTISSIMO
AVCAE
ESTERIESSISSIMO

CHRISTIANO ANDREAE
COTHENIO

TOPTISSIMO DEVISSAE REGI
EXCITISSIMO ET DEVISSAE
EXCITISSIMO ET DEVISSAE
EXCITISSIMO ET DEVISSAE
EXCITISSIMO ET DEVISSAE
EXCITISSIMO ET DEVISSAE
EXCITISSIMO ET DEVISSAE
EXCITISSIMO ET DEVISSAE
EXCITISSIMO ET DEVISSAE
EXCITISSIMO ET DEVISSAE

MEDICO S. M. O.
ET DE VISSAE DEVISSAE

PATRONO MAGNO ET OPTIMO
HABE FACILLIS SACRAS ET VOITTE
YANTI VIRI
DEVISSAE DEVISSAE
R. R. A. S. S. E.



PRAEFAMEN.

Quandoquidem hoc verum adfirmari possit, argumentum quod nunc ad scribendum elegi, ab aliis jam olim fuisse pertractatum, hoc tamen Vos lectores scire volui, me in eo potissimum adlaboravisse, ut, quod ea de re singulatim singuli explicatum dedere, junctim exstaret atque sic facilius perspici possit. Quod ex antiquioribus venerandus medicinae parens, divus ille Hippocrates, ac qui eum sat magnis voluminibus interpretari conatus est, Galenus, docuere atque magistra experientia literis consignatum dedere, quodque ex recentioribus, viri et fama et doctrina conspicui praeclara, idem cognovere, et ex his praecipui, SYDENHAMIVS, STAHLIVS, HOFFMANNVS, BOERHAVIVS, RICHTERVS ac BRENDDELIVS, Gottingenses; CARTHEVSERVS, HAMBERGERVS ac denique GESENVS in scriptiuncula singulari doctaeque elaborata, illud omne nunc paucis reguere decrevi, ac quae de morborum sanatione exinde haberi possunt, non modo evolvere sed et

artis usu probare volui. Eo jam tempore, quo in academia Halensi vitam viverem, ea quae ad meum pertinere videbantur argumentum, quaeque passim exstabant, studio collegi, ac sic enata est opella, quam de die in diem politius limavi atque ut alii etiam persequerentur lima, curavi.

Conscripseram quidem anno elapso dissertationem, quae titulum in fronte gerit: de effectibus salutaribus qui fiunt in morbis, et quae publice defensa haec Ienae a Viro Nobilissimo atque egregie docto F. G. Dietz, sub meo praesidio, ubi id, inprimis egi, ut monstrarem: non omnem morbum omni tempore omnino esse noxium. Sed tunc statim in varias variorum reprehensiones incurrebam, hinc, cum iam in eo sim, ut morborum sanationem exponam, quae adfertis meis debetur, omnino è re mea esse duxi, ad ea respondere, quae mihi fuere opposita, hoc autem adprime fieri posse putavi cum repetam atque uberius exponam ea quae haec de re dici merentur. En igitur B. L! quae sit ratio, cur rem olim a me pertractatam nunc iterum disquisitioni meae subjiciendam elegerim. Quantum ego sapere possum, cognitio effectuum, qui fiunt in morbis, quique ex actione morbidi in sanas partes, et sanarum in morbidas, concipiuntur, filum nobis praebet ariadneum in morbis curandis, et therapiae veterum, naturae viribus adcommodatae, prodit monumentum. Veram condere therapiam fuit animus, cuius specimen nunc sisto. Vos L. carissimi conatum meorum aequi sitis iudices, quod Vos unice rogo atque a Vobis impetratum volo Valetè! Scribeb. in acad. Ienensi, die XX. Aprilis MDCCLXI.

Febris.



Febris.

§. I.



Ego quidem scio, magnam esse vim errorum in animos hominum, et neminem ad hanc diem usque febris dedisse definitionem, quae sit explicita atque omnibus absoluta numeris. Sed hoc meum non esse iudico, falsas nunc refutare opiniones, quae putant: febrim esse spasnum periphericum cum pulsu mutato, et fuit HOFMANNVS qui primus eam haberet sententiam, quam nostris temporibus suam fecit *Clariff. NIETZKI*, sed contra eam prolixè disseruit, Ill. *NICOLAI*, meus in medicina antecessor, et summus et singularis, cui et scire meum et felicitatem, quae hinc pendet, unice debeo, cuius videtis *Abhandlung von den kalten Fiebern, in der Vorrede*. Quamquam autem a sententia absim, febrim esse spasnum periphericum, cum ille, si forsan adsit, pro effectu febris

febris potius habendus sit, tamen ad sententiam Hoffmanni descendo, quae in Med. Rat. his concepta legitur verbis: *licet febris humano generi tam infestus et perniciosus sit morbus, hanc tamen peculiarem obtinet facultatem ut motu intestino et progressivo, quo absolvitur auctiori, causam suam destruat ac seipsum sanare possit.* BOERHAAVIUS longe quidem aliter sentit, is enim naturam febris in eo positam esse putat, ut concinne definiri queat, per velociorem cordis contractionem, cum aucta resistantia ad capillaria, attamen concedit, febrim esse sanationis causam et salutes febris effectus his exponit verbis Aphorism. DLXXXVII. *Febris effectus celerior liquorum expulsio, propulsio, stagnantium agitatio, omnium permistio, resistantis subactio, coctio, secretio cocti, crisis ejus, quod stimulo et coagulo febrim produxerat.* STAHLIUM ac qui ejus adprobant placita, febrim definire per motum naturae salubrem, sive naturae conamen salutare, quod ad corporis conservationem tendit, hoc inter omnes constat. Eo, quo nunc vivimus tempore, eandem adprobat sententiam HEBENS-KEIL in therapia, typis non dum expressa, is enim dicit: *omnes febres ratione ultimi finis, quem natura intendit, sunt salutes, nec malignis aut pestilentialibus exceptis, utpote quae venenum quousque modo sanguine susceptum vel sponte natum, sub forma carbunculorum, bubonum, expellunt, si vis vitae sufficit.* Videatur et Sydenhamius Oper. p. m. 40.

§. II.

Laudandus venit etiam RICHTERVS Illi qui in diss. de justo februm moderamine. Gott. MDCCLIII.

§. V.

§. V. erudite febrium salutare effectus explicuit. *Suppono, inquit, morboſi aliquid in corpore haerere, quod vitalem circuitum et commoda ab eo pendentia vario gradu intercipientem febrem excitat, quae alioquin a levioribus vitae erroribus nata, ſponte deflagrat et cito. Hoc morboſum ſive in ſolidis, ſive fluidis haerens leges circuitus turbet, ſine dubio eget correctione, qua ſenſim ad ſtatum naturalem et priſtina ſunctionum obſequia redeat. Quodſi motu naturali morboſum illud non poſſit, vel ex latebris, quas occupat, expelli, vel expulſum et humoribus circumeuntibus mixtum, coqui ſatis et ſubigi in foco viſcerum, vel eluſis coctionum praefidiis ex animalis oeconomiae finibus exturbari; ſpes juſta concipitur, fore, ut ſub auſtiori cordis motu, ſub creſcente actione fluidorum in vaſa, vaſorum in fluida, molimen illud correctionis vel expulſionis ſuccedat, ſive ſub illa omnium miſcela et agitatione crudum, quod reſiſtit, vel aſſimiletur vel ſemicoctum exterminetur.* Illuſtris BRENDÉLIVS, qui cum inter vivos adhuc exiſteret, medicus aevi noſtri ſummus, quem, ob praeclara in medicinam merita, nunquam magni non faciam, eandem veritatem cognovit, quam in diſſ. de juſta methodi reſfrig. in morbis aeſtimat. Gott. MDCCLII. §. II. verbis expoſuit ſequ: - - namque ut morboſa materia, quae altius viſceribus impacta eſt, eliminetur, in conſeſſo eſt, tum eam aptam fieri debere, ut excerni poſſit, id eſt, attenuari, a locis ubi adhaeret ſolvi, e connubio ſalubrium ſegregari: tum vias pariter ita expeditas reddi debere, atque emunctoria reſerari, ut excernenda libere dimittant. Neutrum vero horum aliter fieri poſteſt, niſi per varios jugiterque repetitos ſolidorum pariter ac fluidorum motus, qui ab irritatione rerum praeternaturalium

ralium orti, *has ipsas cum disjungant abstergantque, tum executiant forasque protrudant.*

§. III.

Erant qui variis contra me pugnarent argumentis, nec inter haec ultimum erat, quod nunc apponam. Adfirmabant autem: effectus salutare qui fiunt in morbis, per accidens tantum evenire, quod exinde cognosci possit, cum nemo neget per anni spatium tot millia hominum morbo mori; quod neutiquam fieret si ex morbo effectus salutaris, sed omisere viri doctissimi, per anni spatium itidem aliquot millia hominum ex morbo convalescere, absque ullo medicaminum usu, cujus ratio ex morbi stimulo atque sic aucta vi corporis nostri, concipitur. Qui me norunt omnes, eos non fugit, me in eo omnem collocare operam, ut eorum, quae vera sunt in arte nostra, cognitionem nanciscar solidiorem, qui fit, ut plane alienus sim ab omni contradicendi studio, nisi veritas, et vis argumentorum, pro me militet, nec moveat me inclarescendi cupiditas ea refellere, quae mihi inopinanti fuere opposita, sed veri tantum amor, sum enim certo persuasus, effectuum qui fiunt per morbos, cognitionem, multum adferre utilitatis in iis curandis. Quae autem §. I. II. ex variorum scriptis adduci necesse duxi, ea probant, omnes concedere, materiam quae febrim efficit, ita agere, ut ex stimulo, quo solida irritat, major solidorum in fluida actio, hinc morbi mutatio, expulsio atque excretio istius, diversa prout diversa morbi materies, quod et RICHTERVS laudatus adfirmat l. c. sequi: *quo major ex febre nata obstru-*

obstructio, eo major vis movens, ita sensim vincitur obstaculum circuitus, et stagnantia attritu solvantur, mixta cum coctis humoribus subiguntur, vel si incocti aliquid et noxii retinent, critice expelluntur, sudore, lotio, alvo aliisque viis, hujus vel illius materiae morbificae excretioni opportunioribus. Sed nunc ad metam propius accedendum erit, ubi ex antecedentibus facili deducimus negotio: Febrim, si juste incedit, atque typum exacte servat, non esse cohibendam, cum sit praesidium potius, quam ipse morbus, hinc omnis medela, quae cum febris indole congruit, in eo absolvitur, ut ejus typi habeatur ratio, hinc augenda febris, si justo minor, tunc vero tantum imminuenda, si nimius calor non resolutionem, cui vis inest remedialis, sed destructionem indicat humorum plenariam, ex quibus simul cognitu erit facile, verum esse axioma quod STAHLIUS olim dedit: morbi materiam ex motu esse dijudicandam. Sunt febres quae nullis plane indigent remediis, quaeque sponte in aegri salutem cedunt, quales sunt v. c. ephemera unius vel plurium dierum, tertiana simplex, intermittentes quae verno tempore accedunt, ex sanguineis pleraeque, et ex his illae imprimis, quae juvenibus familiares sunt quaeque a plethora corpus liberant, nec non ex numero exanthematicarum nonnullae.

§. IV.

Febres quae quidem peioris deprehenduntur esse indolis, non ob id, quod sint febres, necant semper et mortem adducunt, sed quia neque solida neque fluida qualitate sunt praedita, quae sufficit ad morbidum

exterminandum, reciproca enim morbi et istius quod sanum existit, requiritur actio, ut vero salus obtineatur, vires vigeant, necesse est. Conducunt ergo medicamina febribus, quae modo febrim augent, modo infringunt, nunquam vero, quae prorsus reprimunt, nam febrim febre curare convenit, quod et **HEBENSTREITIVS** l. c. demonstratum dedit *thesis haec*, inquit, *febres esse criticas et pro motibus naturae spontaneis habendas esse, stabilienda est, tanquam principium primum, ex quo omnium febrium curationes fluunt, utpote quas medicus non impedit, sed juvat, et intentionem naturae conjectura rationali adsequi tentat, ut medicamenta excogitet, quae hoc naturae opus sublevare, et impedimenta, propter quae febres diuturnae sunt, aut periculosae evadunt, remove valeant.* **HOFFMANNI** verba, quae exstant in *Rat. System.* utique digna judicavi, quae hoc loco adlegarentur: *perniciosum omnino est molimen, febriles in salutem tendentes motus imprudenter medicina suspendere, suppressere aut plane tollere velle. Secundandum potius naturae saluberrimum opus, quod per auctiorem progressivum humorum motum, ad correctionem et resolutionem materiae morbificae ipsiusque tandem excretionem dirigitur.*

SCHOL.

Ex hac febres sanandi methodo, facile perspicitur, medicum esse et ministrum et dominum naturae, est enim ejus vires ita dirigere, ut salus obtineatur.

Febris

Febris Exanthematica.

§. V.

Quae generatim exposita fuere (§. I. II. III.) ad febrium species nunc adplicemus. Agmen ducant exanthematicae, quae modo benignioris, modo autem peiorisprehenduntur esse indolis. Omne harum febrium discrimen, quod sensus incurrit, positum est in diversa exanthematum specie, alia enim aliam induunt speciem ceteroqui sub eadem incedunt larva, notamus enim tempus ebullitionis, eruptionis et exsiccantiae, quae tempora servant omnes exanthematum species, petechiae nimirum, morbilli, purpura utraque, variolae, hoc tamen variolae peculiare habent, ut in illis quatuor observemus tempora, pustulae nimirum eruptae, non statim sub forma squamarum siccarum decidunt, sed in pus foedi odoris vertuntur. Febrium exanthemata nil esse aliud, nisi crisis metastaticam, qua cutem versus morbidum deponitur, recte utique statuo, et omnes in eo mecum conveniunt, exanthematum eruptionem esse motum, qui si debite suoque contingit tempore, morbum levat, quique ad ejus sanationem multum valet. Est igitur in morbo febrili exanthematico, quaedam metastatica crisis, qua cutem versus morbi materies propellitur ad eruptionem tendens, hinc ex morbo salus. Naturae effectum forsitan Tu dicis B. L! sed naturae actio, quae licet adesse debeat, nil nisi vera est reactio, hinc ipse morbus naturae vires dirigit ita, ut salus obtineri queat. Quae cum ita sint, non possum quin concludam, in exanthematum eruptione hoc tantum opus

esse medico, ut vires ad finem consequendum dirigat, hinc modo convenit, omne quod deficit, augere, quodque modum excedit, infringere, nunquam vero actio, quae partim viribus morbidi, partim naturae viribus, hoc est, naturali quae restat constitutione, debetur, penitus sufflaminanda. Favet nobis SYDENHAM, is enim Oper. p.m. 204. dicit: *indicationes (in febre variolosa) curativae eo sunt dirigendae, ut naturalis per pustulas evacuatio rite administretur, alibi vero scribit: concoctionem ut acceleres, non satagendum nescio quibus attenuantibus, sed febris effervescencia tamdiu permittenda est, quamdiu salus aegrorum passa fuerit.*

§. VI.

Probe quidem scio I. A. WEDELIVM in diss. de vi naturae humanae medica, stare contra me, attamen concedit §. XX. quo activioribus salino-sulphureis rarefactivis gaudeat materia morbida particulis, eo magis rarefactionem et acrimoniam et per consequens, pulsum et calorem auctum consurgere, et tunc, si ea permaneat in humoribus ita affectis proportio, ut praevalens sit constitutio naturalis residua, tunc, inquit, febris sponte sanatur. Qui medicinam faciunt, dum morbis mederi student, quae dixi (§. V. et hac ipsa) artis usu probant. Quamdiu enim tempus durat, quod ebullitionis vocare consueverunt medici, parum propinare solent, elapsis vero aliquot diebus, appropinquante illo morbi stadio, quo exanthematum eruptio contingere solet, tunc moris est, medicaminibus uti, quae vim pellentem augent, si vis vitae non sufficit; si nimis efflorescunt exanthemata, quod fit
inpri-

inprimis, si variolae confluentes existunt, tunc adhibere solent remedia, quae quodammodo sedant. Stimulum desiderant fortiolem, qui mixturis alexipharmacis, sive bezoardicis tincturis uti solent, et pro meo quidem judicio, stimulus ex medicamine, tunc stimuli ex morbido vices explet, nam quaecunque vim augmentant, id praestant ob stimulum, quo vasorum validiorem concitant motum, hinc in aprico positum est, medicamina, quae irritando agunt, morbidi corrigere inertiam, atque sic majorem morbido conciliare vim, qua demum agat, ut vis vitae ad pugnam incitetur, necesse est. Sic nos longus rerum usus docuit, camphoram prodesse, si longuor ex debili judicatur pulsus, jam vero compertum satis habemus, volatilem esse materiam exanthematam, quae qualitas volatica, si deficit, camphora reficitur.

Febris Inflammatoria.

§. VII.

Certam hujus febris notionem habes, si dicis, esse febrim quae nascitur ex inflammatione partium nostri corporis quarumcunque, ex quo apparet esse febrim symptomaticam. Sed non quaevis inflammatio febrim adducit, nisi obstructio, ex sanguine nata, paulo sit major et pars affecta sensibilis, hinc viscera imprimis nobiliora, ut hepar, pulmo, nec non partes membranaceae, ut pleura et intestina, quippe quae ex membranis composita diversis, prae ceteris inflammantur saepius. Quae autem in omni sanguinis in-

censio-

ensione adesse debent, sunt: stasis, obstructio, motus intestinalis auctus, irritatio, hinc istius quod vasa obstruit, actio in vasa interclusa naturali major, hinc conatus ex stasi ad expediendam stasim. Breviter nunc: explicandum erit, quae in curanda inflammatione vel omitti vel tentari debeant. Adfirmo autem, et hic, ad febrim persanandam et auferendam stasim, opus esse stimulo, et decenti resolutione, quibus rite sese habentibus, cessabit inflammatio. Fac cesset decens resolutio, tunc habebis scirrhum, sive induratum partem, hinc nulla obtinetur salus, nullus si admittitur intestinalis motus. Remedia igitur strenua censeo, quae attemperando agunt, sic enim discutitur stasis et salva manet solidorum integritas, semper vero nocent, quae incendium penitus extinguunt. Quod ea quae adferui, vera sint, ex eo animadverti potest, cum saepius, si resolutio est iusto minor, salibus mediis, ut tartaro vitriolato, arcano duplicato, tartaro citrato, et similibus, discutienda sit stasis.

Febris Intermittens.

§. VIII.

Cum annum retro, in dissertatione a me edita, effectus intermittens quae sanitati opitulatur, iam explicaverim, cumque praeterea GESENIUS seorsum hanc rem tractaverit in opella, quae in tabernis venum prostat sub titulo: *Versuch einer Betrachtung der Wechselfieber und ihrer Würckungen in die Gesundheit des menschlichen Körpers.* Helmst. 1752. 8vo. nimis forem lon-

longus, et a scopo mihi praefixo aberrarem nimis, si nunc ea iterum adponere vellem, tribus hinc, ut ajunt, verbis, rem omnem complectar. Concedunt HOFFMANNVS, STAHLIVS, RICHTERVS, BRENDELIVS aliique, nunquam sine laude nominandi, viri, materiam febris in febre per varios repetitos motus atteri, coqui, subigi atque expelli, sed legi merentur inprimis quae sentiunt RICHTERVS ac BRENDELIVS, *hic* in *diff. de justa methodi refrig. aestimat.* (§. III.) *ille* vero in *diff. de justo febrium moderamine* (§. III et V.) Iam vero cum ipsa febris intermittens nil nisi motus dividens, febrim turbare neutiquam convenit, sed modo juvare juvat, et de plurium consensu, quae attenuant ac dein per emunctoria cutis amandant, profunt.

Dolor. Spasmus.

§. IX.

Dolores et spasmos ideo junctim tractare debui, cum causas habeant consimiles ut iccirco una eademque methodo iis mederi possimus, totum enim rei discrimen in eo positum est, ut dolor ex fibra nervosa, spasmus autem ex fibra musculari originem trahat, quae fibra in utroque casu tensa sit, necesse est. Qui fiat, dolores symptoma esse morborum plerorumque, hoc dilucide satis jam explicui loco citato, sed placet nunc dolorum investigare differentiam. Nemo dubitat, quin pars nervosa omnis dolore tangi queat, hinc cum tensio nervi sit vera et unica dolorum causa, illud omne quod nervos modo quocunque distentit, dolores efficit. Iam fac, ut idem

C

corpus

corpus, quod dolores commovet, versus aliam partem quamcunque agat, et dolores dabit, loco quidem diversos, sed non specie, haec ergo differentia notari vix mereretur, unde simul adparet, dolores qui non nisi loco differunt, medicaminibus sanari posse iisdem. Quae circa dolores monui, ea et de spasmodis adfirmari possunt, modo fibra sit muscularis, omnis ergo dolor depellitur, et spasmo auxiliatur, tensione fibrarum sublata, vel hoc si fieri nequit, fibra laxata, utrumque vero ex actione morborum in fibram et reciproca fibrae actione in morbum fieri posse, ego quidem judico.

Sunt spasmodorum plerique, qui sua sponte cessant ac nullis indigent remediis, id quod experientia edocti scimus. Cogita enim, vim fibrae, qua sese contrahit, esse = lem X, fac doloris vel spasmi causam tendendo agere vi quae adaequat V, tunc fibrae actio in istud quod tendit, erit aequiparanda V, hinc vis qua fibra gaudet sana, vi istius quod tendit duplo erit major, hinc fieri non potest, quin vis major minorem superet, hinc tendens removeatur hinc utique salus; sed fac corpus tendens in fibram agat vi = XI, tunc, cum vis corporis tendentis vi fibrae absoluta sit I major, fibra vel fit laxa, vel rumpit, hinc dolor cessabit. Quod humorum ex stimulo affluxus major, dolores lenire possit, hoc jam olim monui. Ex hisce causis factum esse mihi quidem videtur, ut permultos hac in re consentientes habeam, sic adfirmat *Sydenhamius* Oper. p. 40. arthritidem sibi metipso esse medelam atque praesidium praestantissimum.

Qui

Qui plura scire cupit, in binis *Cartheuseri* dissertationibus, olim a me citatis, inveniet, qui sine dubio rem acu tetigit.

Haemorrhagia.

§. X.

Profluit sanguis, vasis vel ruptis vel expansis, utrumque vero causis debetur, quae vel extrinsecus vim vasis faciunt, vel intra vasorum cava habentur. Illud sanguinis profluvium, quod oritur ex causa quae intra cavum vasis haeret, nunc diligenter exquiram. Cum sanguis profluere nequeat, nisi adsit apertura vasis, facile colligitur, nullam oriri posse haemorrhagiam, nisi vasorum resistentia imminuta sit, quae tunc imminuitur a sanguine, si vel vitiosus est, vel copia peccat. Sanguis vitiosus tunc est profluvii causa, si ex sanguine, vel spisso, vel acri, nascitur obstructio, ex qua dein *vel in eo loco* ubi haeret, vasis l. dilatatio, l. ruptura, l. erosio contingit: *vel sanguis* remotas versus partes propellitur, unde vasorum l. ruptura l. dilatatio fieri debet.

Si ex copia sanguinis, vasa vel distenduntur l. rumpuntur, tunc vel plethora vel rarefactio, l. plethora et rarefactio junctim adesse debent. Haec sibi quaevis profluvii species vindicat, cum vero et propria et communia intueri opus sit, paucis quod sentio, dicam. Haemorrhagia, nascitura ex causis quae intra cavum vasis habentur, requirit

femper, ut in eo loco, ubi contingit, vasorum adfit minor resistantia, quicquid ergo hanc vel illam partem prae ceteris debiliorem magis reddit, illud efficit, ut sanguis in hac parte, non vero alibi locorum, profluat, et haec causa dicitur *determinans*, quae rationem morbi sufficientem continet. Haec subest ratio, cur non semper ex plethora et rarefactione haemorrhagia, et cur ab iisdem causis diversa saepe. Cognitis iis, quibus vera debetur haemorrhagiarum origo, jam facile erit probare, quod haemorrhagia, qua talis considerata, ad causarum destructionem multum valeat. Si enim orta vel ex plethora, vel a sanguine rarefacto, tunc profluvium suam minuit causam; si vero ex obstructione nata, qualis v. c. haemorrhoidalis fluxus, quatenus circuitum sanguinis liberiorem reddit, prodest. Nolim ego hac in re multus esse, hinc sufficiat dixisse, nullam haemorrhagiam, neque criticam, neque symptomatam vere talem, penitus cohibendam esse, cum omnem haemorrhagiam cohibitam mors subitanea sequatur, saltem status periculi haud expers.

SCHOL.

Scio quidem organicorum sententiam, qua nimias haemorrhoidibus tribuunt laudes, sed quis est qui non perspiciat, me non sequi eorum sententiam.

Excre-

*Excretio Viscidi, Serii, Bilis,
Puris cet.*

§. XI.

Excernitur non modo sanguis, sed et *serum acre*, *viscidum* ejusque species omnes, *bilis*, *semen corruptum* ex impuro coitu, verbo, fluidum nostri corporis quodcunque, ipsa vero, excretio dicitur *critica*, *salubris*, si vires non amittit aegrotus, sed recuperat. Iam vero uno adfirmant ore omnes, *criticas* morbidi expulsiões a vitae viribus unice pendere, quod cum aliter existimem, in illud laborem insumsi, ut monstrarem, efficaciam quae vitae viribus adscribitur, non ab hisce solis, sed a stimulo etiam, qui ex indole morbidi concipitur, pendere. Sic acris humor fibras pungit, vellicat, pituita vel lentor, qui adhaerescit, stringit, hinc ex causa vtraque stimulus ad motum validiorem, qui ad suam exterminandam causam tendit, ex utrisque contractio, diversa tamen, etenim si morbidum acre, tunc motus acerrimus si viscidum iners, tunc permediocris.

Quodsi ergo fateri licet quod res est, morbi materies et in hisce morbis ad sanationem multum valet, namque ut eliminetur morbidum, naturae vires non nisi ex stimulo incitatae agunt atque sic expellunt, qui fit, ut in morbis plerisque conveniens evacuatio, quae stimulo ex sua causa debetur. De plurium sententia morbus ille, quem gonorrhoeam vocant, pestiferus habetur, qui humores destruit, solida erodit,

salubris nunquam, sed neminem inveni qui neget profluvii qua talis salubritatem, etenim in gonorrhoea curanda hoc primum existit, ut profluvium rite succedat, quodsi itaque ex diaetae vitio, medela perversa, vel alia causa quacunque gonorrhoea forsitan cohibita, tunc revocetur opus est, ceteroqui et hoc notum est, medicamina, quibus huic morbo mederi convenit, diuresin movere, ut tinctura tartari, antimonii, balsamus de copaiva, terebinthina, essentia fuccini, pimpinellae. Ad hanc morborum classem pertinent excretiones per alvum, v. c. dysenteria, diarrhoea, quae licet sint symptomaticae excretiones, nunquam tamen sisti volunt nec sinunt, sed prudenter tolli.

Conclusio.

§. XII.

Quae dicenda restant hisce continentur, mutationes quae in morbis fiunt, legibus teneri a quibus nunquam discedunt, quarum

- 1) *omnis morbi causa irritat et sensationem producit;*
- 2) *ex stimulo motus consurgit, sensationi vel irritationi proportionatus;*
- 3) *qui motus proportionatus, judicatur conveniens.*

Iam undecim annos retro Ill. DELIVS, qui ob praecleara in medicinam merita magnam sibi comparavit famam

famam primus invenit legem naturae: omnem sensationem sequi motum sensationi proportionatum, conformem, quam Vir ille laudatus in Progr. singulari pluribus exposuit verbis. Quaedam, quae ad meum pertinent argumentum, adlegare liceat ex §. IX. Progr. cit. Convenientem esse motum puto, qui est medium ad finem consequendum, hinc finalis, quo intenditur corporis perfectio, vel in conservanda sanitate, vel tollenda sensatione ingrata, et morbo. Conveniens utique est motus, si ad acre vel molestum aliquid forte in oculum illapsum abstergendum oritur adfluxus lacrymarum. Tussis oritur insignis, si in tracheam corpus peregrinum illapsum est. Oritur in trachea admodum nervosa sensatio, hanc sequitur motus sensationi conveniens, ut videlicet excernatur peregrinum corpus, molestam sensationem inducens liberamque respirationem impediens. Motus est finalis et conveniens, si post sensationem obstructionis vel congestio- nis in tunicis mucosis sinuum et cavitatum ossis frontis, sphenoidalis, ethmoidalis, maxillarium sequitur coryza. Fit resolutio, et excretio, perfectio corporis.

Vid. et BOERHAAVE Praelect. in propr. Instit. P.I. Proleg. §.IV. sq. Venenum adsuntum est, percun- tum homini, si vis eius aut in sanguinem se penetret, aut diu in viscera agere queat. Oritur vomitus, actum est
id

in omne, quod praestiturus erat peritus medicus. etc.
 Nisi omnia me fallunt, satis demonstratum dedi,
 morborum causas agere ita, ut stimulus oria-
 tur, qui dein tantatis causa evadit, hinc morbum
 nunquam penitus esse cohibendum. Semper autem
 intellectam volo *actionem corporis in corpus*, five
 actionem morbidi in sanas partes, ubi vis illius de-
 bet esse minor viribus sanarum partium, quod et
 monuit Ill. DELIVS l. c. *Sed cave, inquit, ne ultra
 terminum fiat impetus. Cessabit sensatio, si ultra
 elasticitatis gradum tenditur nervus.*

T A N T V M!





VIRO
DOCTRINARVM COPIA ET MORVM ELEGANTIA
CONSPICVO
IODOCO EHRHART

S. ET O.

P R A E S E S.

Si unquam voluptatem e re aliqua percepi, sane nunc ex eo percipio, cum TIBI placuerit, Fautor aestumatissime, TE mihi comitem praebere in disputando, qui fit, ut laetus atque alacer tempus adripiam, grates, quas TIBI debeo, exsolvere atque quanti TE faciam aperte fateri. Quem TE per semestre anni spatium satis habui cognitum, eum rogitabam, ut mecum cathedram conscenderet, quippe cujus vis ingenii, assiduitas, doctrina praeclara, eloquentia praestabilis ac morum denique suavitas, inter omnes constat. Deus optimus maximus apud TE amplissima fixit beneficia, qui insuper patrem nactus, Virum in medicina et naturali historia egregium, cujus doctrinam singularem scripta lectione digna, et *Commercium Noricum* testantur; TV vero nil omisisti quod ad augendam cognitionem rerum medicarum facit. Iam olim Tubingae antecessores in medicina TIBI fuere Viri laude illustri atque doctrina exquisita conspicui, Excell. SIEGWART, GMELIN, MOEGLING, aliique nunquam sine laude commemorandi, nunc vero ex binis jam annis auscultator fuisti attentus KALTSCHMIEDII, NICOLAI et FASELII, Virorum per orbem terrarum celeberrimorum, qui nostram ornant Ienensem.

D

Quae



Quae cum ita sint, non possum, quin TIBI honores, quos dabit academia nostra, et praemia quae patria tribuet, ex animo gratuler. De me illud persuasum habeas, in TE amando, me, quoad spirans ero, nemini posthabendum fore. Fac valeas, vigeas semper, meique sis memor. Scribeb. in Acad. Ienens. Die xvi. Maji MDCCLXI.

Heute da Hygäens Hand Dich krönet,
Und der Brüder froher Jubel tönet,
Blickst Du auch im Schosse sanfter Freuden
Auf meine Saiten.

In der wahren Freundschaft Heiligthume
Schallen sie nur schwach zu Deinem Ruhme,
Doch wird das, was sie Dir prophezeihen,
Die Wahrheit weihen.

Auf Dich wartet schon ein Chor von Armen,
Menschen: Liebe reizet Dein Erbarmen,
Und die Krankheit flieht für Deinem Blicke
Fürchtisam zurücke.

Welcher Gott, den ich von fernem sehe?
Ja! er ist's, der Serzen von der Höhe
Neiget sich mit glänzendem Gesieder
Auf Dich hernieder.

Er -- ich schweige. Laß dich Freund unarmen,
D was fühle ich in Deinen Armen,
Wirst Du auch Dein Herz mir ferner schenken
Und an mich denken?

Mit diesem weniaen wolte dem Hochedle
Sohnelahren Herrn Respondenten sein
Glückwünsche abkatten, und sich zu fernere
Freundschaft bestens empfehlen

Desselben
aufsrichtig ergebenster Freund und gehorsamer Diener

E. L. Cunradi,
d. A. B. C. aus der Graffschaft Hohenlob-
OPPON.

V I R O

CLARISSIMO AC DOCTISSIMO
AMICO AESTVMATISSIMO,

IODOCO EHRHART

S. P. D.

IO. ADOLPH. BEHREND'S

MOENO-FRANCOFVRTENSIS.

OPPON.

Inficias quamuis non sim iturus, me munere opponentis
abs TE demandato lubentissime fungi, mihi que cum
viro exercitatissimo rem esse; tamen non possum, quin TIBI
Vir Doctissime significem, quod neque demandata sparta,
neque sententiarum strenuus quis defensor efficere possint,
tale, quale TV iubes, vt ineam certamen; sed ea potius,
quae nos coniunxit amicitia. Pro hac inprimis, dein, quod
me dignum censueris, qui tecum publice sermones cae-
dam, gratiarum actionem non omitto. Merito, Amice
Aestumatisime, quum tam docte ac perite in eruditorum
palaestra effaris, in TE admirando, laudibusque in extol-
lendis TVIS, si Encomiaften agere vellem, haud desiste-
rem; quem vero tota TIBI concio erudita applausu iam
sistit. Ceterum enixius rogo, vt me porro numero ami-
corum TVORUM adscribere velis. Vale. dab. Ienae d. xiiii
Maji MDCCXXI.

D. 2

V I R O



VIR O

SINGVLARI ERVDITIONE, VIRTVTVM SPLENDORE AC
MORVM DOCTRINA MAXIME CONSPICVO

IODOCO EHRHART

AMICO AD ARAS VSQVE COLENDO

S. P. D.

IOANNES GEORGIUS ECKARDT,

COEVRGO-FRANCVS.

SENTENTIARVM OPPVGNATOR.

Cum nunquam non maximae mihi voluptati sit, TIBI, VIR
CLARISSIME, meum testificandi amorem, TVAMQUE
ego doctrinam haud sane vulgarem, moribus coniunctam
elegantissimis, iam dudum tanti faciam, nihil ut mihi sit
amicitia TVA iucundius; optatius itaque quid accidere
mihi potuisset, cum in publicum me provocas certamen?
Amicitiae numina violassem, nisi TALI AMICO, veritatis
inuestigandae causa mecum confligenti, laureum conuictus
porrigerem ramum. In hoc certamine, quod totum hu-
manitati est ac beniuolentiae, suum uterque implebit offi-
cium, ego admirando, ut amare videar, TV vero, VIR NOBI-
LISSIME, amando, vt admirationem admittas. Persuadeas
TIBI velim, ex solidissima TVA, qua polles, quaque tela
mea haud infixam depellis, eruditione in me potissimum fru-
ctus redundare. Plura quae dicam? VALE et VIVE,
AMANTISSIME AMICE, et, vt in laudis TVAS excurram,
permittas. Vt TV me semper ames votorum summa est.
Dab. Ieme, III. Id. Maji, CIO IO CCLXI.

